


**05  
A  
1759**



D. E. T. U. V. B. A.

DISPUTATIO METAPHYSICA  
complectens

9

# TRIGAM QUÆ. STIONUM SELECTIORUM,

*Quas*

In florentissimâ Wittebergensi  
Academiâ,

P R A E S I D E  
V I R O

*Clarissimo atq; Præ-Eximio*

## D N. M. JOHANNE SIMONE,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncto  
dignissimo, & Scholæ Wittebergensis Con-Rectore  
meritissimo,

Domino, Præceptore, Fautore atq; Amico suo multis  
nominibus atatèm devenerando,  
*publico placidoq; Philosophorum*  
*Examini subjicit.*

## ELIAS CONRADUS, DRESDA-MISN.

Author & Respondens.

Ad diem XXVIII. Septembris

Anno tunc 1659.

In Auditorio Minori.

*Horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.



# V I R I S

Nobilissimis, Consultissimo, Clarissimis, Pereximiis, Praestantissimis,  
Doctissimis, Ornatisimis, Humanissimis

Dn. CHRISTIANO ADOLPHO Balduin. P.L.C.	Dn. JOHANNI HEINRICO â Schönberg.
Dn. DAVID CHRISTIANO NYMMANO.	Dn. JOHANNI RUDOLPHO â Bischoffwerder.
Dn. BENEDICTO Strauß.	Dn. JOHANNI ADOLPHO â Rechenbergf.
Dn. GEORGIO Rudolff.	Dn. DAVID Löffern.
Dn. CHRISTOPHORO FABRO.	Dn. CHRISTIANO Risch.
Dn. JOHANNI CHRISTO- PHORO Wacken.	Dn. JOHANNI Starcken.
Dn. CHRISTIANO De MÜNTER.	Dn. WOLFGANGO CASPARO Reichbrod.
Dn. CHRISTIANO Heymann.	Dn. JOHANNI Beinrad.
Dn. CAROLO LAURENTIO Pabst.	Dn. HEINRICO Beinrad.
Dn. JOHANNI CASPARO â Schönberg.	Dn. JOHANNI CASPARO BERRINGERO.

Cœterisq; Dominis Popularibus, Studiorum Causâ in  
florentissimâ Academia Wittebergensi viventibus, Dominis,  
Patronis, Fautoribus, Commilitonibus, Sympatriotis atq;  
Amicis suis ætatèm devenerandis, colendis,  
amandis



Disputationem hanc Metaphysicam in  
debitæ observantie, honoris, amoris ac  
amicitiæ sacramentum.

D. D. D.

Respondens,

05 A 1759



I. N. J.

Προλεγόμενον.

**N**on satis me hercule mirari possum,  
quibus intemperiis agitati, aut qua mentis in-  
saniā ducti ipsi Ramistæ odio plusquam nover-  
cali adeò prosequantur nobilissimam illam  
disciplinam, quam Metaphysicam vocamus,  
ut eam ipsam è commercio scientiarum Philo-  
sophicarum proscriptam ac exturbatam velint? Sanè isti ho-  
mines cimmeriis plusquam involuti tenebris lucem respuunt.  
Quis enim nisi qui lolium pro tritico habeat, non agnoscit,  
quam latè undiquaque se Metaphysicæ diffundat usus? Quæ  
enim disciplinarum est, quæ omnibus reliquis disciplinis præ-  
est, illisq; objecta sua præscribit ac ordinat, cuiq; omnes re-  
liquæ inserviunt? Metaphysica. Quæ est, quæ prima  
principia & Axiomata generalissima, quæ in singulis scientiis  
valorem suum obtinent, in se complectitur? Metaphysica.  
Quæ est, quæ terminos universalissimos in omni scibili, discur-  
su ac disputationibus aptandos & adhibendos nobis suppeditat?  
Metaphysica. Quæ est, quæ distinctiones communissimas ubiq;  
applicandas nobis exhibet? Metaphysica. Metaphysica sanè  
est filum illud Ariadnæum, quo ductore ex Labyrintho illo Phi-  
losophico nos expedire perfacile possumus. Proh Dèum im-  
mortalem! quantam utilitatem præstat illa ipsa Philosophiæ  
reliquarumq; facultatum Cultoribus in explicandis intricatis  
nonnullis locutionibus & quæstionibus, applicando illis nobi-  
lissimas suas distinctiones; in primis verò illis, qui ad sacratam  
illam sacratissimæ Theosophiæ Arcem contendere laborant,  
quam felicem ibi progressum celsissimæ hujus scientiæ facit  
cognitio, quam infelicem ejusdem ignorantia? (id quod suo

A 2

ipso,

ipsorum satis superq; testati sunt Exemplo Manichæi) quâ de causâ m. Theologia Naturalis à nonnullis, non sine ratione, audit. Sed planè non opus est, prolixè de celebritate ejusdem disserere, cum merx pretiosa facilem emptorem inveniat, nec opus sit vino vendibili suspensâ hederâ. Quâm præstantissima autem hæc & utilissima, tam vexatissima est scientia; non enim paucas d. plurimas arduas atq; difficiles illa fovet Controversias. Quarum tres in præientiarum exercendi ingenii causâ publicæ ac placidæ disquisitioni subjicere placet. In quibus defensum ibo cum Præceptoribus nostris 1. *Conceptum Entis respectu inferiorum esse analogicum.* 2. *Veritatem esse unam, non duplē aut contradictionem.* 3. *Deum nullatenus esse causam mali.* Hunc itaq; supremum Deum, qui est Ens primum, nobilissimum ac perfectissimum, qui est norma veritatis, & ipsa veritas, qui est Causa omnis boni, devotissimis ac ardentissimis supplices invocamus precibus, quò nos Entia inferiora divini sui afflatu Spiritus illuminare & in recto veritatis tramite ducere velit gratosissimè, quò bonum hoc nostrum propositum vergat in sanctissimi sui Nominis laudem ac gloriam, studiorum nostrorum incrementum, nostriq; commodum atque emolumentum.

### QUÆSTIO I.

*Utrum Conceptus Entis ad sua inferiora sit univocus, an æquivocus, an verò analogicus?*

#### §. 1.

**D**uplex Conceptus Philosophis est, Objectivus & Formalis. Objectivus est res ipsa concepta s. Objectum conceptus, ut homo, equus &c. Formalis verò est species intelligibilis Objectum cognoscendum repræsentans. De priori & quidem ad Ens restricto quæritur, quomodo se habeat in respectu ad inferiora, Deum nempè & creaturas, Substantiam & Accidens, hoc est, an sit univocus, an æquivocus, an verò analogicus?

**§. 2.** Antequam verò ad rei nervum perveniamus, in antecessum explicandum erit, quid per r. Ens, quidq; per inferiore En-

ra Entis veniat intelligendum. Scilicet variè accipitur Ens, vel enim 1. opponitur Non-Enti simpliciter, & despescitur in Ens Reale & Rationis. Vel 2. sumitur pro Ente Reali, prout omne Reale dicitur, quod citra mentis operationem datur, & contradistinguitur Enti Rationis, dividiturq; in positivum & privatum. Vel 3. distinguitur in Ens complexum & incomplexum. Vel 4. in Ens Actu & Ens in potentia, & h. m. Conceptum Entis æquivocum esse dicimus. Neutrum verò horum à nobis in Controversiam venit. Sed hoc, quomodo nimirum Conceptus Entis veri, realis, incomplexi, positivi & Actu existentis se habeat ad sua inferiora?

§. 3. Per inferiora Entis nequaquam indigitamus Ens Complexum & incomplexum, Ens Reale & Rationis, Ens Positivum & Privativum, Ens in potentia & Actuale; sed per inferiora intelligimus Deum & Creaturam, substantiam & Accidencia, de quorum participatione nunc agendum.

§. 4. Hic videoas dissentientes animos, hic opinionum diversitatem, hic Philosophorum disparitatem. Multi univocum defendunt Conceptum, multis placet æquivocus, multis etiam analogicus.

§. 5. Pro univoco pugnat Scotus, & ejusdem Asseclæ *Scotus lib. I. sent. dist. 3. q. 3.* Scoristæ, quibus se associarunt nonnulli ex Recentioribus. Rationes illorum potissimum haec sunt: 1. Dicunt, Ens de pluribus posse praedicari inquit, recte enim dici, Deus est Ens, Creatura est Ens, Substantia est Ens, Accidens est Ens. 2. Quia detur Conceptus contrahibilis de Deo & Creaturis, de substantia & Accidente, quod non possit fieri, nisi æqualiter participant de Ente. Sed nos antequam examinemus Argumenta haec, explicabimus, quomodo univocum sit accipiendum?

§. 6. Univocum considerari potest dupliciter: vel in significacione generaliori, vel specialiori. Priori modo æquipollit Synonymo, & simul includit Analogum attributionis intrinsecæ, & hoc modo possumus concedere, Conceptum Entis esse univocum, verum de hoc non est quæstio; Sed posteriori modo, quatenus æq; primò sive æqualiter essentiam suam communicat suis inferioribus v. g. animal est univocum, æqualiter

Sicut enim dicitur de homine & de bruto. Et talem Conceptum Entis respectu inferiorum esse negamus.

§. 7. Rationes negationis possumus afferre sequentes :

1. Sic enim Ens esset propriè sic dictum Genus, quod falsum, non enim datur supra decem illa Prædicamenta ullum aliquod Genus, alias non amplius essent summa Genera. 2. Sic Deus veniret sub notionem alicujus universalis, quia esset species Entis, omnis enim species est aliquod universale, quod prædicatur de pluribus individuis; quod de Deo asserere non absurdum duntaxat, sed impium est, & Ethnicum sapit errorem. 3. Deus includeretur Carceri Prædicamentorum, quod itidem *ἀλογον*, cum ad Prædicamenta pertineant solummodo Entia finita, non verò Ens infinitum, quale est Deus. 4. Nullum univocatorum dependet ab altero. Sic brutum non dependet ab homine, non pyrus à pomo &c. Ad Creaturæ pendent à Deo, Accidens à Substantiâ. E. non sunt univocata. Ut adeò luce meridianâ clarius elucescat, Conceptum Entis non posse esse univocum strictè & specialiter sic dictum.

Vid. Kec-  
kerm. comp.

Metaph. c. 2.

p. 22. Aureo-  
lus apud Ca-  
preolum dist. i.

q. 2. Rabbi  
Moys. Æ.  
gypt. apud  
Thomā q. 7.

de potentia

Dei Art. 2.

Barthol. En-  
crid. Metaph. part. 2.

c. 2. Porphy-

rius in Isag.

c. de specie.

Damascen.

in dial. c. 46.

§. 8. Quod jam Rationes Adversariorum supra adducatas attinet, facile illæ possunt dilui. Scilicet quoad 1. distinguendum est inter Genus aliquod propriè sic dictum : & inter Conceptum quemcunq; quidditativum. Prædicatur quidem Ens de pluribus, sed non de pluribus speciebus. Quoad 2. distinguendum est inter Contractionem quæ fit ad species ; & inter nudam modificationem. Non ergò sequitur, quod statim æqualiter & *ωσαύτως* participant de Ente.

§. 9. Qui pro æquivoco Conceptu militant, sunt Kec-hermannus, Aureolus apud Capreolum, Rabbi Moyses, Platonici & alii. Nec non Dn. Bartholinus &c. Varias hi addunt Rationes, & inter cætera Axioma illud : *Inter finitum & infinitum nulla datur proportio*. Argumentantur : Si inter finitum & infinitum nulla datur proportio, sequitur, quod Conceptus Entis ad sua inferiora prorsus sit æquivocus. Adducunt præterea Locum ex *Esa* 40.17. ubi Creaturæ ad Deum collatæ dicuntur minus quam nihil. Sed Resp. hæc non evincunt, quod evincere debebant, siquidem nos saltem distingvimus inter esse absolu-

absolutum & comparatum Concedimus, quod nulla detur proportio in creaturis ad Deum, comparatè loquendo, non verò quoad esse absolutum. Apparet igitur, quod nec hæc stare possit opinio.

§. 10. Notandum autem, quod etiam æquivocum non uno accipiatur modo, sed duobus potissimum. Nonnunquam enim directè opponi sue vit univoco, nonnunquam agnoscit aliquod medium, quod est analogum. Priori modo etiam analogum dicitur univocum, in quantum scilicet unam notat naturam, quod denegatur æquivoco. Verum non ità venit in Quæstionem, sed quæstio est, an sit Conceptus ille purè æquivocus, ità quidem, ut nomen saltem commune sit inferioribus, non verò res ipsa? Et hoc est, quod negamus, non enim solus Deus est Ens propriè, & Creaturæ impropriè &c.

§. 11. Hâc autem in probando hoc ipso nitimur ratione: Quia si Creaturæ & Accidentia tantùm de nomine ipsius Entis, non verò de ipsâ natura Entis participarent, hoc emerget Absurdum, quod Creaturæ & Accidentia sint Non-Entia, & quod Deus in primâ Creatione creârit pura puta æquivocè dicta & Non-Entia, quod sanè nullus unquā dixerit, nisi qui in calcaneo cerebrum gerat, & etiam verè Non-Ens sit. Sunt enim Creaturæ revera Entia, sunt etiam Entia ipsa Accidentia, quamvis dependenter & secundario, non tamen proptereà statim ipsis adimenda est Entitas.

§. 12. Explosis itaq; falsitatibus jam elucescit veritas. Scilicet ex anteà dictis appareat, Conceptum Entis ad inferiora non esse univocum, neq; æquivocum; remanet igitur, quod sit analogicus, id quod nos cum Præceptoribus nostris Honora- tis. astruere non erubescimus.

§. 13. Prænotandum tamen iterum, qualisnam Analogia locum hic habeat? Scilicet Analogia alia est proportio- nis, quando forma illa determinans uni analogorum propriè, alteri verò per Metaphoram & similitudinem aliquam tribui- tur, ut quando dicitur homo sitire, tunc propriè homini com- petit, quando verò de agris dicitur, tunc fit per aliquam Meta- phoram, & hanc à nostro foro removemus, quia coincidit cum ipsâ

ipsâ æquivocatione: Alia verò est Analogia attributionis, quam Aristoteles vocat πρὸς ἐν καὶ αὐτῷ ἐν. Et hæc vicissim in duplice est differentiâ. Est enim vel attributionis extrinsecæ, quando res illa de uno analogorum intrinsecè, de altero verò extrinsecè enunciatur. Ut sanitas intrinsecè & formaliter competit animali; extrinsecè verò, & per habitudinem aliquam etiam de medicinâ dicitur, neq; hæc ad nostrum spectat negotium: Vel est attributionis intrinsecæ, quando scil. natura rei utriq; analogorum propriè & intrinsecè competit, itâ tamen, ut uni περίτως & primariò, alteri verò δευτέρως & secundariò insit, & hanc analogiam de Ente affirmamus, scilicet ut dicere possim, Deus est Ens, substantia est Ens propriè & intrinsecè; & Creatura est Ens, Accidens est Ens propriè & intrinsecè, non tamen uno eodemq; modo, sed secundum prius & posterius, περίτως enim competit Deo & substantiæ, δευτέρως verò creaturis & Accidentibus, quia Creaturæ esse suum Deo, Accidens verò ipsi debent substantiæ.

S. 14. Quamvis nunc itaq; profligatis contrariis, inconsusa nostra stet sententia, de Conceptu nimirum Entis analogico, itâ ut non pluribus opus habeat fulcimentis; nihilominus tamen ad pleniorem rei evidentiam & illustrationem probatam dabimus eandem quibusdam Rationibus:

S. 15. 1. οὐδὲν: Quia Conceptus Entis neq; est univocus, neq; æquivocus, relinquitur ergo, quod sit analogicus. Non enim est univocus, quia non æqualiter competit inferioribus; non æquivocus, quia non secundum nudum duntaxat nomen, sed simul secundum rem ac definitionem utriq; analogorum propriè, non Metaphorice tribuitur, uti supra demonstratum. E. est analogicus.

S. 16. 2. οὐδὲν: 1. Quia Ens alteri inferiorum convenit περίτως alteri δευτέρως, utriq; propriè, & per intrinsecam denominationem, id quod analogo nostro conceptui proprium est. 2. Quia ab inferioribus illis abstrahere possumus communem Conceptum Entis, qui uni æq; ac alteri propriè competit, cum dependentiâ tamen unius analogati ab altero: dependent enim à Deo Creaturæ, dependent à substantiâ Accidentia, ut nihil-

nihilominus tamen dicere possimus, Creaturæ habent essentiā veram, & Accidentia habent essentiam veram, non secus ac de Deo & substantia. His itaq; positis, nemini non, nisi qui Tiresia cæcior sit, veritatem sententiæ nostræ perspicere licebit.

§. 17. Ultimò non abs re esse videtur, hanc annexiter observationem, cum adhuc aliquà subesse videatur difficultas in dignoscendo Conceptu analogico ab univoco, quod scilicet de hoc ipso non judicandum sit ex præciso & nudo Conceptu, quatenus abstrahitur, sic enim res non patebit; sed ex participacione, an nimis illa fiat æquali an verò inæquale modo? v.g. quando Conceptus à Deo & Creaturis, à Substantiâ & Accidentibus abstrahitur, tunc ex simplici & præciso illo Conceptu nulla analogia emergere videtur; quando verò ad ipsam participationem respicimus, illamq; paulò rectius intuemur, è vestigio apparet, quod Conceptus ille non æq; primò de uno dicatur ac de altero, sed quod Deus & Substantiæ primariò, Creaturæ verò & Accidentia secundariò de Ente participant, & sic Conceptus ille sit verè analogicus. *vid.B.Dn.D.Jacob.Mart.paratit. Metaph. disp.2. q.5. Dn.Scheiblerus Metaph. l.2. cap.1. art.3. punct.5. num.45. p.ii.12. &c.*

## QUÆSTIO II.

*An detur duplex & contradictoria unius rei  
Veritas; & an Philosophia Theologie sit  
Contraria?*

§. 1. Decantatissima hæc ac vexatissima est Controversia, quæ non exiguo excitavit scrupulos Theologis æq; ac Philosophis, siquidem non pauci inventi fuere, qui multiplicatatem veritatis asserere ausi sunt, quin imò multa asserta Philosophica Sanctæ Theologie è diametro opposita & contraria esse affirmare non dubitarunt. Quò igitur omnis dubitationi via intercludatur, & major veritati Lux concilietur, brevissimis Controversiæ nervum tangemus, & quoad utrumq; membrum pro virili unitatem veritatis vindicantes, omnem *άντιφασιν* removebimus.

§. 2. Quoad 1. Membrum: Benè itaq; tenendum est, de quâ veritate controvèrtatur? Scilicet datur veritas in Essendo,

B

in

in cognoscendo, & in significando; ubi tamen nulla multiplicitas, quia ibi datur arctissima connexio, ita quidem, ut posterior semper respectum habeat ad priorem, & una veritas in alterâ fundetur.

§. 3. Est autem veritas in significando, quando dicta & scripta Conceptibus mentalibus correspondent, & uti res aliqua ab intellectu concepta est, ita etiam & non aliter profertur atq; exprimitur.

§. 4. Veritas in Cognoscendo est, quando res ita ab intellectu intra mentem concipitur, uti in rei veritate est & existit, ita ut Conceptus formalis Conceptui Objectivo sit adæquatus, nec ab illo latum ungvem discedat.

§. 5. Veritas in Essendo est, quando res correspondet ipsi intellectui divino. Verum neq; de hâc posteriori, neq; de priori, sed potissimum de mediâ hic quæritur, nempe de veritate in cognoscendo, an illa sit multiplex, & an patiatur contradictionem?

§. 6. Non etiam quæstio est de Veritate diversorum objectorum, s<sup>i</sup> subjectorum & graduum. Concedimus, dari diversimodam veritatem (nondum tamen contradictoriam) ratione objectorum seu subjectorum, & graduum. Alia enim Veritas est Logica, alia Physica, alia Metaphysica &c. quælibet enim disciplina proprio suo gaudet objecto, & propterea propriam etiam habet veritatem. Sic etiam alia veritas est Entis infiniti quam finiti, sed est veritas graduum, quia illa longè eminenter pollet perfectione quam hæc; Sed quæritur h. l. de veritate unius ejusdemq; rei s. Objecti, & hujus duplicitatem, nedum multiplicitatem aut contradictionem nos rotundo ore prorsus damnamus, rejicimus atq; proscribimus.

§. 7. Distingvimus autem i. inter veritatem abstractivam: & concretivam. Ratione Abstracti non datur duplex veritas, Ratione vero Concreti potest dari, aliam enim veritatem habet hic, aliam ille Philosophorum, uti in primis videre est in Mathematicis, ubi diversæ à diversis adhibentur instrumenta & hypotheses, omnes tamen cum intendunt finem, ut una eliciatur veritas, & nulla adhuc emergit Contradictio 2. Distingvimus inter veritatem diversam: & adversam; datur diversa veritas, in diversis nimis disciplinis; quod libenter concedimus; non tamen adversa seu Contradictoria.

§. 8. Quo-



§. 8. Quoad 2. Membrum: Non raro vero invenias etiam, qui contendunt, dari Contradictoriam veritatem inter Philosophiam & Theologiam, ita ut non raro Philosophia ipsi Theologiae in os contradicat, illiusque; effata in totum neget atque; evertat. Ubi omnino cautè & circumspectè loquendum atque; agendum est, ne vel nobilitati Philosophicæ, vel sublimitati Theologicæ aliquid decedat, quod tamen neutquam futurum est, si sano iudicio res percipiatur.

§. 9. Nos igitur cum B. Dn. D. Meisnero distingvimus in vid B. Dn. D. inter Philosophiam ratione  $\gamma\sigmaίας$  s. essentiæ; & ratione  $\mathcal{U}\pi\tauί\mathcal{E}\zeta\mathcal{E}\omegaς$  Meisn. Phil. s. existentiæ spectatam. Ratione essentiæ suæ considerata, prout Sobr. part. I. in se est, seu esse de jure debet, Philosophia nunquam contradicit sed. 4.c. 2.q. 3. Theologiae, quia & ipsa à Deo est, & Deum Autorem agnoscit, p. m. 523. non minus quam Theologia. Absurdum enim est, Deum ipsum sibi contrarium fingere. Quin imò sequentur exinde maxima absurdia, scilicet, idem simul posse esse & non esse. Duas Contradicторias propositiones simul posse esse veras ac falsas. Item Philosophiam esse ab ipso Diabolo. Quicquid enim verbo Dei contradicit, illud non est à Deo, sed à malo Spiritu. Hoc autem dicere impium est & ingratum. Ulterius sequeretur, lumen rationis non æque; à Deo hominibus inditum esse ac lumen Revelationis, quod itidem absurdum. Imò innumera alia nascerentur extreme absurdia, quæ omnia hic apponere opus foret non unius pagellæ. Hoc potius dicimus, quod Philosophia famuletur Theologiae, & sit quasi ductamen aliquod & medium ad faciliorem rerum Theologicarum cognitionem. Quæ absonum itaque; esset famulam dominæ suæ contradicere, tam absonum etiam, Philosophiam Theologiae contrariari, vid hanc de re D. Pappus in Epit. Histor. Eccles. p. 182.

§. 10. Distingvimus autem h. l. iterum inter Contradiccionem veram: & apparentem. Objicere aliás communiter solent Antagonistæ, esse quædam asserta Philosophica, quæ Theologiae & revelato Dei verbo aperte αντιλέγεσθαι videantur. e.g. Quando Philosophia pro Princípio aliquo & Axiomate certissimo habet: Ex nihilo nihil fit. Contradicti inquiunt, è vestigio S. Scripturæ, quæ testatur, ex nihilo totum hoc universum factum esse. Gen. I. Sic etiam quando Philosophia pro impossibili habet, Vir-

gineū parere, destrui, ajunt, illud Esa. 7.14. Ecce Virgo concipi-  
et, & pariet filium. Item: Omnis ignis urit. Omne grave descen-  
dit, opponi volunt, illi 2.Reg.6.6. ubi ferrum ipsi aquæ suferna-  
tasse legitur. Et Dan.3. ubi in fornace Babylonicâ ignem vim com-  
burendi non habuisse sacra dicitat pagina.

§.ii. Sed facilis est Responsio atq; decisio. Non enim hic est  
contradiccio aliqua vera, sed saltem apparens, quod exinde dis-  
palefecit, quod non adsint requisita veræ Contradictionis, qua-  
rum vulgò quatuor recensentur: 1. Ut Contradiccio sit κατ' αὐτὸν  
secundum idem 2. πεδὸς αὐτὸν ad idem 3. ὠσαύτως secundum eun-  
dem respectum. 4. ἐν αὐτῷ χρόνῳ in eodem temporē. Jam autem  
quis, nisi cum talpā oculis careat, non videt, hæc omnia hic non  
adesse? Siquidem Philosophia, quando talia profert, semper  
præsupponit consuetum naturæ ordinem, quod nempè illa non  
possint se ita habere naturaliter, interim tamen non negat, quod  
supernaturaliter & per infinitam Dei potentiam sic fieri possit.  
Exempli vice, quando Philosophia ait, ex nihilo nihil fit, intel-  
ligit naturaliter, per ordinarium generandi modum. Theologia  
dicit, ex nihilo omnia facta sunt, scilicet supernaturaliter, & per  
extraordinarium Creationis modum.

vid. Dn. D.  
Meisn. l.c.

§.12. Et sic se res habet cum illis, quæ B.Dn. D. Meisnerus ad-  
ducit in Philos.Sobr. quæ planè sunt mystica, ut quando dicitur  
Deus esse trinunus, Corpus corruptum resurgere, Corpus unum  
in pluribus simul esse locis. Ibi quidem Philosophia contrarium  
asserere videtur, quando dicit, unum non potest esse tria, & tria  
non posunt esse unum. Corpus corruptum non potest unum  
numero redire. Corpus unum non potest simul in pluribus esse  
locis. Sed hæc omnia juxta ordinarium naturæ statum pro im-  
possibilibus exponit, nulla tamen negat, quod per absolutam atq;  
extraordinariam Dei potentiam sint possibilia.

§.13. Nulla igitur αὐτη Φιλοσοφία nobilis illa cælitùs delapsa Pal-  
ias Philosophia est arguenda. Sed distinguendum est h.l. inter fal-  
sum & alienum. Non enim statim falsum esse judicat Philo-  
sophia, quod ipsi est alienum. Sic alienum est ipsi, virginem pa-  
rere &c. non tamen falsum.

§.14. Ratione vero οὐαίρεως s. existentiæ suæ, h.e. qualis de  
facto

facto est in hoc vel illo subiecto, Philosophia potest contradicere,  
imò sàpisimè graviter contradicit Theologiæ.

§. 15. Hoc autem sit partim ab *Ethnicis* & *Paganis*, qui cæcutientis rationis ductum & dictamen secuti non aliter judicare possunt, quām ipsa permittit, & dum nimis petulanter de rebus gravioribus judicium sibi arrogant, omnia ea falsitatis insimulant, quæ insulsum ipsorum cerebrum excedunt. Quando itaq; in sacris dicitur, mundum factum esse ex nihilo, statim illi ipsi, vi *Canonis* illius: Ex nihilo nihil fit, contradictionem aliquam exasciant, & ulterius ineptè ita colligunt: Contradictoria sunt impossibilia; Atqui assertio illa Theologorum, mundum factum esse ex nihilo, est aliquod contradictorium. E. hæc assertio est impossibilis, & per Conseq. falsa. Verum nos respondeamus ad hoc ipsum, quod non vera sit contradictione, sed pagana ignorantia, & effrenis rationis petulantia, quæ in talia virgulam sibi sumit censoriam, quæ innumeris modis ipsam transcendunt.

§. 16. Partim à *Christianis*, sive ab iis, qui nomen suum inter Christianos profiteri volunt, quando nimirū illi ipsi, spretō splendidissimo verbi divini lumine, obscuratis sensibus nimium indulgent, & præviis illis de arduis fidei Articulis & summis mysteriis, quæ nonnisi fide amplectenda, sententiam ferunt. Id quod totā die contingere videmus inter Calvinianos, qui sanè nimium caliginosæ tribuunt Rationi, & quodcunq; non verisimile videtur insanis ipsorum cerebellis, exemplò in dubium vocant, ne dicam, planè negant, non aliter, ac si Ratio sit norma & Canon fidei & scripturæ, cum contrarium potius verum sit.

§. 17. Partim etiam à *Peripateticis*, & inconsideratis Philosophis, Sophistis, Cavillatoribus ac Nugivendulis, qui non raro in libellis suis (abusivè sic dictis) Philosophicis talia ponunt Axiomata, Assertiones atq; Conclusiones, quæ sacræ literis manifesto reclamant, quæ hic adjicere, non operæ pretium esse puto.

§. 18. Manet itaq;, quod una & simplex sit veritas, & quod Philosophia, quatenus in suo esse relinquatur, nullatenus contradicit Theologiæ.

### QUÆSTIO III.

#### *An Deus sit Causa malī?*

§. 1. Exhorrescat sanè cordatus Christianus, si semel duntaxat

vid. h. ac de re  
Dn. Scheibl.  
in Proœm.  
Metaph. c. 1.  
num. 3. p. 1. It.  
B. Dn. D.  
Meisn. Phil.  
sobr. part. 1.  
sect. 4. c. 2. q. 3  
p. m. 522. seq.  
Dn. M. Stra-  
temann.  
Theatr. Me-  
taph. p. 209.  
210. Maximè  
Rever. Ex-  
cell. Dn. D.  
Calov. Me-  
taph. divina.  
p. 343-344. It.  
Dn. Scheibl.

audiat detestandas illas, quas impuri illi, vix dicam homines, Calviniani, ex impi ore eructant blasphemias atq; calumnias, nonnisi à maligno spiritu, Patre mendacii, & hoste Dei infensisimo, ipsis ingestas, quando simpliciter Deum causam mali esse asserunt, dum dicunt, Deum gloriosum lapsum πεωπλαγω voluisse & decrevisse, & quæ sunt alia homini Christiano auditu nedum dictu horribilia.

§.2. Nos verò cum Sacra Scripturâ & Orthodoxis nostris Theologis negatim mordicus defendantes, simplicissimo ore dicimus, Deum nullius unquam mali Causam fuisse, esse, necesse posse. Rationes negationis nostræ depromimus ex absurdis exinde in Majestatem supremam redundaturis. Repugnat enim ejus attributis & proprietatibus, ex quibus quædam adducere, & veritati patrocinium acquirere luet.

Gen. i. v.13. §.3. Repugnat i. (ut nihil dicam de Veritate) *Dei bonitati ac perfectioni*. Deus enim est summè bonus, summè etiam perfectus, tūm in essendo, tūm in operando, imò est summum bonum, & propterea quæcunq; fecit, valdè bona sunt. Malum autem non est nisi nuda boni privatio, & non potest habere propriè Causam efficientem, sed potius deficientem. Si igitur Deus esset Causa mali, esset sanè Causa deficiens, & sic summa ipsius bonitas ac perfectio destrueretur.

Ez. 59. v.2. §.4. 2. *Dei Sanctitati*. Quia est sanctissimus. Jam autem malum sancto diametaliter est oppositum. Opposita verò se invicem tollunt, quomodo ergò unum alterius potest esse causa? Imò sic Deus ipse peccaret, quod maximè absurdum, tūm enim non amplius esset Deus, quia peccata Deum ac peccatorem se jungunt.

§.5. 3. *Dei Justitiae*. Sic enim injustus esset, si pœnas inferret hominibus ob commissa mala, quorum tamen ipse Causa esset, quia homines ad illa perpetranda impulisset, quod itidem assertre blasphemum, & piis auribus summè horrendum.

§.6. 4. *Dei voluntati*, quæ semper est bona, imò norma & regula boni, cur enim Ens creatum bonum dicitur? sane quia conforme est cum voluntate divina. Jam autem illud, quod est norma bonitatis, quâ ratione potest causa dici ullius mali?

§.7. Quia verò brevissimæ hic sunt ducendæ lineæ, paucis statrum Controversiæ exposituri & mentem nostram à veritate mi-

nimæ



nime deviantem explicaturi sumus, cætera scholis Theologorum relinquentes.

§.8. Notetur itaq; 1. distinctio illa vulgaris, inter malum culpæ: & pœnae, s. ut Tertull. inter malum delicti: & malum supplicii. Inter malum reverâ tale: & inter malum apparenter tale. Prioris Deus causa dici nullatenus potest, quia illud dependet solummodo à Causâ aliquâ particulari deficiente; Hujus verò causa esse dicitur Amos 3.6. Thren. 3.37. Sed est malum apparenter solummodo tale, immittitur enim à Deo justo tanquam utile aliquod remedium ad compescendum atq; puniendum effrenem peccatorem. Et hoc sensu ubiq; scriptura vult intellectum, quando à Deo malum proficiisci asserit.

§.9. 2. Inter Causam propriè effectivam: & permisivam. Causa effectiva ipsius mali Deus dici neutquam meretur, quia malum non habet Causam effectivam ἀκείβως loquendo. Permissiva tamen potest dici, quia scilicet permittit ex indignatione, malum fieri, quod contingit, quando hominibus refractariis detrahit suam gratiam, eosdemq; deserit & sibi ipsis relinquit. Jam autem permittere & efficere non sunt unum & idem, & Causa permittens non statim est Causa commissi criminis, uti nervosè loquitur B. Dn. D. Meisnerus.

§.10. 3. Inter Causam volentem, nolentem: & nonvolentem. Prioribus duobus modis Deus Causa mali non est, non enim vult malum, uti Calvinian: mentiuntur contra scripturam ac conscientiam; nec simpliciter non vult, non enim resistit a deo, ut planè non possit fieri, quod est nolle, dedit enim homini liberum arbitrium; Sed est Causa nonvolens, quod nonvelle nec simpliciter complacentiam, nec etiam absolutam repugnantiam involvit. Quando igitur malum committitur, tunc illud fit nonjuxta, sed præter voluntatem Dei.

§.11. 4. Inter Causam mali productricem: & directricem. Scilicet Deus non est Causa mali, ut ipse producat, sed ut productum à Causâ particulari aberrante in bonum finem dirigat ac deducat. Sic v. g. malum erat sceleratissimum istud facinus fratrum Josephi Patriarchæ, & non à Deo productum; Deus tamen hoc ipsum malum in bonum finem dirigebat, & ita non tam erat Causa mali, quam boni.

§.12. 5. Inter Causam mali quoad materiale: & quod formale. Sive quod expressius: inter Causam actionis: & αποξιας. Priori modo Deus Causa est, quia concurrit generali suo concursu, uti ad omnes omnino actiones, largitur enim motum ad agendum, sed ille motus hactenus non

est malus, sed optimus, quia habet naturalem suam perfectionem & bonitatem. Quando vero jam accedit  $\alpha \tau \alpha \xi \alpha$ , ita ut Causa particularis & proxima aberret ac deficiat a rectitudine in agendo, non amplius est bona, sed sit vitiosa actio. Verum hoc posteriori respectu Deus Causa mali nec est, nec appellari potest. Defectus enim in agendo dependet a Causa particulari, uti Canon habet Metaphysicorum.

§. 13. Hic jam irruunt importuni Calviniani & obganniunt: Causa Causæ est etiam Causa Causati; Atqui Deus est Causa Causæ, voluntatis nimirum humanæ, quæ est Causa peccati, (quod ambabus etiam largimur manibus) E. inquiunt. Deus est Causa mali, a voluntate scil. hominis oriundi. Rx. Euge, boni Viri, jam dudum in fumum abiit stramineum hoc vestrum Argumentum, uti rectissimè a B. Dn. D. Meisnero sèpius laudato, nominatur, quis enim adeò hospes est in Philosophiâ, ut nesciat quomodo & quatenus hoc ipsum Axioma procedat, nimirum quod tantummodo in Causis essentialiter sibi subordinatis, non verò in accidentalibus. Instant: Atqui Deus omnia mala præscit, prævidet ac præcognoscit, antequam fiant. E. etiam Causa illorum est. Rx. Egregia consequentia! Infertne Dei Præscientia rebus necessitatem? neutiquam. E vestigio rubore suffundentur Adversarii dupli hæc instantia: Astrologus præscit, prævidet ac præcognoscit Eclipsin. E Causa est Eclipse? Medicus prævidet mortem ægroti. E. Causa est? Quis adeò inops mentis est, ut hæc concedat? Sed hæc brevissimè pro nostro instituto dicta sunt de hæc ipsâ materia, plura qui cupit, adeat crebrius citatum B. Dn. D. Meisn. Anthropol. des. 1. disp. 3. & 4. It. Philosobr. part 1 sect. 4. q. 6. p. m. 539. 540. seq.

Excellent. Dn. D. Calov. Metaph. div p. à 499. usq; 512.

Deo Enti Vero Bono sit gloria aeternalis!

---

Ad

Præstantissimum Dn. RESPONDENTEM.

**V**erum ingressus iter Sophiæ contendis in arcem,  
Ignotos superans scopulos, nec pervia vulgo  
Culmina, quod tenebras & amantem nubila terram,  
Concelebrat, claras nec se unquam attollit in auras,  
**CUNRADE**. Hoc animo macte, exspectaq; coronam,  
Quam tibi contexunt tua-semper-gaudia Musæ.

AUGUSTUS BUCHNERIUS P.P.

Academia Senior & nunc Collegii  
sui Decanus.




05 A 1759





**Farbkarte #13**



D. E. T. U. V. B. A.

DISPUTATIO METAPHYSICA  
complectens

# TRIGAM QUÆ. STIONUM SELECTIORUM,

*Quas*

In florentissimâ Wittebergensi

Academiâ,

P R A E S I D E  
V I R O

*Clarissimo atq; Pre-Eximio*

## DN. MICHAELIS. JOHANNE SIMONE,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncto  
dignissimo, & Scholæ Wittebergensis Con-Rectore  
meritissimo,

Domino, Præceptore, Fautore atq; Amico suo multis  
nominibus atatèm devenerando,  
*publico placidoq; Philosophorum*  
*Examini subjicit*

## ELIAS CONRADUS, DRESDA-MISN.

Author & Respondens.

Ad diem XXVIII. Septembris

Anno mDCCLXSOYVIAS 1659.

In Auditorio Minoris.

*Horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

9